

CAS. III. Cujusdam oppidi Parochus conquestus est , quia die Sabbati Sancti in Ecclesia Regularium in eodem oppido commorantium pulsantur campanæ ante sonitum Ecclesiæ Paroquialis. Q. an jure possit de hoc facto conqueri.

Respondeo affirmative. Ratio asserti colligitur cum ex verbis Bullæ 22. Leonis X. §.14. præcipientis, ut Clerici tam Sæculares, quam Regulares die Sabbati majoris hebdomadæ , antequam campana Cathedralis , vel Matricis Ecclesiæ pulsaverit , campanam in Ecclesiis suis pulsare minime possint, tum ex Decretis Sacrarum Congregationum , sive rituum 6. Feb. 1668. sive Concilii 15. Mart. 1727. & nostræ Dioecesanæ Synodi l. 1. cap. 5. in omnes tam Sæcularium , quam Regularium Ecclesias eamdem , ut supra, confirmantibus ordinationem. Licit autem in supradictis dispositionibus fiat sermo de Cathedrali , vel Ecclesia Matrice , adhuc tamen Parochus noster, cui jura, decusque Ecclesiæ suæ tueri incumbit, jure merito de facto in casu exposito conquestus est , cum eadem ratio de Parochiali habenda sit quando in Oppido , vel rurali loco alia dignior Ecclesia , cui jus Matricis conveniat, non reperiatur, quam reperiri in casu nostro non constat. Ita cum Card. de Luca de præmin. disc. 42. num. 42. Ursaja inst. crim. l. 1. tit. 10. num. 195. Gavant. p. 4. tit. 10. rub. 31.

### MENSE AUGUSTI.

CAS.I. **C**UM quadam die intra octavam Paschæ Petrus è sua rurali parœcia ad Civitatem se contulisset , audiens in Cathedrali Ecclesia Episcopi Missam , de ejus manu cum aliis pluribus sumpsit Eucharistiam Q. an adhuc præcepto Communionis in priori parœcia sumenda teneatur.

Respondeo affirmative : cum enim distincta sint, ac separata omnium parœciarum confinia, dicendum est subditum alienæ parœciæ Sacram Eucharistiam in Cathedrali sumentem, communionis paschalis præceptio in cap. omnis utriusque sexus injuncto non satisfacere, præsertim post declarationes hac in re factas, tum à Sacra Concilii Cong. Mense Sept. 1649. tum sub Innoc. XI. 5. Feb. 1682. qui eadem ratione determinavit supradicto præcepto non satisfacere eum, qui in Ecclesiis Patriarchalibus Urbis Vaticana , aut Lateranensi ad Sacram Synaxim accederet. Neque aliquid refert Petrum Sacram Eucharistiam de Episcopi manu sumpsisse , nisi enim hoc faciat expressa ipsius Episcopi , vel proprii Parochi facultate , numquam per Communionem prædictam paschali præcepto satisfaciens , & proinde ad Communionem iterum in propria parœcia sumendam tenebitur. Ita cum Card. de Lugo l. 1. resp. mor. dub. 15. num. 5. Pignatellus tom. 7. consult. 89. num. 18. Giribaldus de Euchar. cap. 8. num. 28.

CAS.II. Clericus ex quo docendo pueros elementa Grammatices, & Aritmetica libras bis centum , & ultra quotannis lucretur, petit à Parocho , an hoc titulo possit ad Sacros Ordines promoveri. Q. Parochi responsum.

Respondeo. Quamvis librarum bis centum annum lucrum , quod recipit Clericus elementa Grammatices, & Aritmetica pueros docens , sufficiens fortasse sit ad congruam ejusdem Clerici sustentationem ; adhuc tamen tale

lucrum nec beneficium est , nec Patrimonium in bonis stabilibus positum, quale ex mente Sacræ Congregationis Concilii Tridentini interpretis pro valido collationis Ordinum titulo idem Tridentinum sess. 21. c. 3. de reformatione exposcit. Qua de te Sacra Congregatio dubiis ipsi propositis tum Mense Octob. 1589. tum 23. Maii 1609. in quibus quærebatur „ an ex lucci , per artem Musicam , per Magisterium Grammatices , per gradum „ Theologiae , & hujusmodi acquisitis ad Sacros Ordines promoveri aliquis „ queat, “ respondit: „ non posse, sed requiri omnino vel beneficium , vel „ Patrimonium ad vitam promovendi honeste sustentandam sufficiens : “ ut in Instructione Eminentiss. Archiep. Lambertini 1. Febr. 1734. hac de te edita sub num. 7. videre est. Et tale esse debet Parochi nostri responsum.

CAS. III. Confessarius in Dioecesi orat amicum suum Bononiam petentem, ut obtineat à Pœnitentiario facultatem absolvendi pœnitentem ab incertu in confessione audito. Q. an violet aliquo modo Sacramentale sigillum.

Respondeo cum distinctione. Vel amicus Confessarii ex recepta incestus notitia venire potest in cognitionem illius , qui tale delictum patravit , & confessus est , vel hoc nequaquam moraliter contingere potest. Si primum, dicatur ex quo , vel locus , in quo Confessarius audit confessiones , sit parum amplius , vel Confessarii amicus eos distincte cognoscat , qui solent pro expiatione conscientiae ad eundem Confessarium accedere , responsio debet esse affirmans , quia sic , & Confessio redditur odiosa , & pœnitenti injurya irrogatur. Si vero dicatur secundum , ex quo ob rationes oppositas nullum sit periculum , utreus prædicti sceleris diagnoscatur , nullam in casu sigilli violationem contingere , dicendum est. Meliori tamen consilio ager quilibet Confessarius , si pro obtinendis hujusmodi facultatibus reservatum castum in confessione auditum per epistolam sigillo obsfirmatam Pœnitentiario exponet. Ita cum Leandro disp. 10. de pœnit. quæst. 39. Bonac. sect. 5. punct. 4. num. 1. Giribald. cap. 18. num. 25. & 26.

### M E N S E S E P T E M B R I S.

CAS.I. **R**uticulus quidam plures confessus est gravia peccata Capellano valde ignaro , qui nec reservata à non reservatis , nec à lethabilibus venialia distinguit. Q. an illæ confessiones sint necessario iterandæ. Respondeo negative. Quamvis enim graviter deliquerit Confessarius , qui necessaria scientia non munitus se ad confessiones excipendas exposuit; adhuc tamen si rusticus pœnitens bene dispositus ad dictum Confessarium bona fide accessit , fuit valide absolutus , cum ad valorem directæ , vel indirectæ absolutionis præter materiam , formam , & intentionem Ministri; quas in casu adfuisse pro certo puto , nil aliud desideretur. Habebit igitur dictus pœnitens onus iterum subjiciendi clavibus reservata , si quæ possit à cæteris peccatis distinguere , habenti facultatem in illa , non vero iterandi confessiones omnes apud indoctum Capellatum jam factas. Dixi si bona fide accesit , nam si data opera talem Confessarium elegit , à quo non potuerit utiliter mederi , in hoc casu , cum semper sacrilege confessus sit

sit, confessiones omnes iterare necesse est. Ita cum Gobat. tom. 1. tract. 3. n. 193. Girib. de pœnit. c. 17. dub. 2. num. 10.

CAS. II. Confessarius, qui de re turpi in Confessione audita motose delectatur, ne differat absolutionis verba proferre, nullo pro se præmisso contritionis actu, pœnitentem absolvit. Q. an possit à nova gravi culpa excusari.

Respondeo negative. Ratio est, quia rale singi nequit incommodum ex dilatione absolutionis in exposito casu, ut præcepto eliciendæ contritionis præponderet, cum longa temporis mora opus non sit, ut Confessarius ex corde dicat: „Pœnitent me offendisse Deum, quia summe bonus est, nec ultro hoc in æternum faciam.“ Quod si vere tempus decesset, ut contingere posset, si Confessarius prædictus pœnitentem suum in mortis articulo convictum videret, tunc reus novæ culpe non foret, si securus ageret, quia necessitas alium prompte absolvetudi præcepto contritionis in se ipso eliciendæ præponderaret. Ita cum Dicastil. de pœnit. disp. 10. dub. 8. num. 232. Girib. de Sacram. in gen. cap. 5. dub. 4. num. 15. & 21. Gobat. tom. 1. tr. 7. num. 198.

CAS. III. Sacerdos in Canonicum Collegiatæ cujusdam Oppidi electus nullam umquam recepio Canonicarii fidei professionem emisit, ex quo post aliquot annos angitur scrupulo, an teneatur ad aliquam restitutionem. Q. quid respondendum.

Respondeo obligationem emittendi fidei professionem, quæ aperte colligitur sive ex Trid. sess. 24. c. 12. de reform. sive ex Pii IV. constitutione 89. impositam esse dumtaxat provisio de beneficiis curam animarum habentibus, aut de Canonicatibus, & Dignitatibus in Ecclesiis Cathedralibus, non autem provisio in Collegiatis sive istæ in Oppidis sint, sive in Urbibus reperiuntur, cum de istis in supra adducatis legibus nulla mentio habeatur. Ita respondeit Sacra Concilio Congregatio tum in una Avenionensi 1586. tum in alia Catanzari q. Februarii 1726. Qua de re cum Sacerdos noster ex quo in Canonicum Collegiatæ assumptus sit, ad prædictam fidei professionem non teneatur nullo, eadem non emissâ, scrupulo angî debet; cum certum sit ad nullam quoque perceptorum fructuum restitutionem teneri. Ita cum Eminensissimo Lambertini in Instruct. sub die 26. Augus. 1736. Garcia de benef. 3. p. c. 3. n. 12. Barbos. de potest. Episc. 3. part. alleg. 61. n. 15.

### M E N S E O C T O B R I S.

CAS. I. Postquam vovit Joannes, si Deus eum præserves per mensem à gravi peccato, in quod solebat incidere, sex julios in eleemosynam elargiri; ne teneatur, quod promisit implere, ultima mensis die, prædictum peccatum deliberate commitit. Q. an adhuc ad dictam eleemosynam teneatur.

Respondeo negative. Ratio est, quia conditionate vovens per se loquendo ad voti executionem obligandus non est conditione non adimpta, cum non censeatur voluisse se obligare nisi posita conditione, quamvis, quod dicta conditio non ponatur in esse, ex ipsius culpa contingat. Cum itaque Joannes

vo-

votum suum emiserit sub conditione, quod Deus eum gravi culpa per mensem præserves, quod idem est ac dicere, si ipse vovens, Deo adjuvante, per mensem à gravi culpa abstineat, licet ex ipsius pravo fine processerit quod conditio adimpta non sit, ac proinde gravius idem crimen deliberate committendo peccaverit, adhuc ad sex julios in eleemosynam erogandos obligandus non est. Dixi, per se loquendo, quia si mens Joannis fuisse se obligandi ad prædictam eleemosynam in casu, quo per ipsum præcise staret, ne apposita conditio adimpleretur, tunc oppositum concludendum foret. Ita cum Girib. de voto cap. 5. num. 57. & 58. Suar. l. 4. de voto cap. 17. num. 20. Filiuc. tr. 26. cap. 6. num. 158.

CAS. II. Paulus, & Francisca ex Diœcesi Mutinensi per annos 20. & ultra viventes in forma Matrimonii in hac Diœcesi Bononiensi domicilium habent. Mortua autem Francisca, vellet Paulus sub eadem parœcia aliam ducere uxorem. Q. an pro tali Matrimonio sufficiente consuetæ publicationes.

Respondeo negative. Quamvis enim Paulus & Francisca vixerint in forma Matrimonii per annos 20. & ultra in loco, ubi de præsenti domicilium habent, & Francisca mortua est, adhuc tamen, cum legitime non constet Franciscam fuisse veram Pauli uxorem, non sufficiunt pro novo contrahendo Matrimonio consuetæ publicationes, sed ulterius requiritur attestatio, cum legalitate Ordinarii, sub quo idem Paulus testatur jam cum Francisca Matrimonium contraxisse, ut ex prædicta legitima attestatione appareat, Franciscam fuisse veram Pauli uxorem, & proinde quod eadem defuncta Paulus ad aliam ducendam absolute liber evadat. Ita expresse colligitur ex responsione Sacræ Congregationis ad dubium octavum circa Matrimonia exterorum.

CAS. III. Pœnitenti obstinato animo recusanti se præsentare Superiori pro obtinenda absolutione à reservatis, permittit Superior dicta motus obstinatione, ut ab inferiori possit absolutionis beneficium obtinere. Q. an stante etiam tali facultate dictus pœnitens possit absolviri.

Respondeo cum distinctione. Si dictus pœnitens præter famæ propriæ diminutionem, quæ institutioni Sacramenti intrinseca est, prudenter timet aliud grave damnum Sacramento extrinsecum sibi imminere, si Superiori pro obtinenda reservatorum absolutione se sistat; in hoc casu cum ipse jus habeat non accedendi, & ut possit per inferiorem absolviri, Superior facultatem concedere teneatur, stante tali facultate eidem, utpote qui optime potest esse dispositus, beneficium absolutionis per inferiorem Confessarium denegandum non est. Si vero dicta pœnitentis obstinatio in aliquo prudenti timore, ac judicio non fundetur, quam in illo propriæ infamacionis cum Sacramenti usu connexæ, tunc etiam posita facultate, quam superior contra jus proprium concessit, ipse pœnitens utpote qui injustum animum semper retinet perseverandi potius in peccato, quam accedendi ad Superiorum, si facultatem prædictam non concessisset, ita indispositus est, ut nequaquam absolutionis capax censendus sit. Ita cum Gobat. 1. tr. 7. num. 732. Card. de Lugo de pœnit. disp. 20. sect. 20. num. 238. & 240.

CAS.

O 2

MEN-

**CAS.I.** **C**ajus publicus peccator Parocho, cui confitetur, minatur mortem, nisi ei præbeat tum absolutionem sacramentalem, tum Sacram Eucharistiam. Q. an liceat aliquo modo in casu impio Caij voto indulgere.

Respondeo licere quoad secundum, non quoad primum. Ratio asserti simul, & discriminis est, quia, cum porrectio Eucharistiae etiam indignis facta non sit per se ab intrinseco mala, illud præceptum Matthæi c. 7. expressum, non dandi Sanctum canibus; seu non porrigiendi Eucharistiam indignis, est tantum obligans secundum quid, ac proinde, sicuti peccatori occulto publice petenti tenetur Minister Sacram præbere Eucharistiam, ut famæ ipsius poterit consulat, ita peccatori etiam publice minanti mortem poterit Minister licite præbere Eucharistiam, ut propriæ consulat securitati. Ex adverso, cum prolatio absolutionis supra indignum, utpote falsa, sit semper ab intrinseco mala, quemadmodum probat etiam Augustinus c. 18. L. contramendacium, in nullo casu licitus esse potest, ideo præceptum de non absolventis indignis obligat semper, & absolute. Nisi igitur peccat Cagus Eucharistiam in odium religionis, & fidei, vel ad eamdem positive dehonorandam, in quo casu ipsa porrectio impia foret, Parochus ex motivo vitandi mortem, non quidem per prolationem absolutionis, bene vero per porrectiōnem Eucharistiae poterit impio Caij voto indulgere. Ita cum Gobat. tom. I. tr. I. n. 273. & 276. Girib. de Sacr. c. 6. n. 22. & 24. Suar. de Euch. disp. 67. sect. I. in fine, & sect. 4. in resp. ad I.

**CAS. II.** Conjugata, ne filiis ultra vires gravetur, vovit debitum non petere, & maritum rogare ne petat, sed ex metu, ne maritus ab ipsa alienus fiat, servato primo, secundum quod vovit, non servat. Q. an graviter contra votum deliquerit.

Respondeo negative, si metus sit vere prudens. Ratio est, quia voti obligatio cessare videtur, quoties ex ipsa voti executione aliquod grave damnum prudenter timetur, per quod votum non amplius de meliori bono dicatur, quodque, si tempore emissi voti cognitum fuisset, numquam prudentis iudicio tale votum emissum foret. Hoc autem videtur sequi in nostro casu, nam si metus conjugis ut vere prudens ex circumstantiis dignoscatur, damnum, quod ipsa timet a marito, si eum roget, ne debitum petat, vere grave est, meliorique bono, de quo votum debet esse, repugnat, cum alienatio unius conjugis ab alio soleat esse plurimorum sive spiritualium, sive temporalium malorum origo, ut experientia teste in familiis quotidie videmus, ideoque sicuti numquam conjux prudenter vovisset rogare maritum, ne debitum peteret, si predictus timor tempore emissi voti ipsius menti occurrisset; ita occurrens post votum eamdem saltem in hac parte a voti executione excusat. Dixi, saltem in hac parte; quia, cum hac parte non servata possit conjux fieri prægnans, & proinde possit cessare finis non petendi, ne filiis ultra vires graventur, poterit eodem gravitatis tempore debitum etiam petere, quin votifraga censeatur. Ita cum Suar. lib. 4. de voto c. 9. n. 4. & c. 69. num. 1. & 4. Pal. punct. 20. num. 5. aliisque comm.

CAS.

**CAS. III.** Cuidam furali Ecclesiæ Altare privilegium pro qualibet sexta feria concessum fuit sub conditione quod in eadem Ecclesia quinque saltem Missæ quotidie celebrentur. Q. an si Missæ aliquando sint pauciores quam quinque, adhuc Indulgentia subsistat.

Respondeo affirmative, dummodo hoc raro contingat. Licet enim Sacra Concilii Congregatio approbat Pontifice Innoc. XII. declaraverit 5. Jun. 1694. celebrationem Missarum in Altaris Privilegiati indulto præfinitarum quotidie necessariam esse; adhuc tamen dicendum, quod si aliqua die contingat præfinitum Missarum numerum integrum non haberi, non per hoc totaliter conditio privilegii concessionē adnexa deficiat, ut ipsum quoque privilegium cessat; ita enim respondit eadem Sacra Congregatio sub Clem. XI. ad dubium n. 1. propositum die 30. Julii 1706. sub clausula à nobis posita, scilicet: Dummodo hoc raro contingat, ut in dicti Pontificis Bullario part. 2. pag. 542. videre est; & hoc idem docent Gob. t. I. tr. 3. num. 640. Dian. part. 9. tr. 2. resol. 9.

**CAS.I.** **D**um moritur ruralis Sacerdos pia cuidam sodalitatē adscriptus, disponit, ut ejus corpus habitu ejusdem sodalitatis indutum ad tumulum deferatur. Q. an predicta dispositio possit laudabiliter exequi.

Respondeo negative. Quamvis enim pius, ac laudabilis sit mos laicorum, si ad ostendendam venerationem, quam in vita erga Sanctos habuerunt, disponant in morte, ut alicujus Religionis, vel Societatis habitu induti ad tumulum deferantur, quando eorum vita contumeliam non inferat Sacrae vesti, & in religiosa ueste non sepeliantur post vitam prorsus irreligiosam, ut Theophylus Rainaudus part. 3. sect. 1. Et. spirit. adnotavit; laudabilis tamen esse non potest talis dispositio, si sit a Sacerdote, vel alio clericali militiae adscripto; cum quilibet ex his ad sepulturam deferri debeat ea Sacra indutus ueste, quain ordinis sui ratio depositit, ut sub titulo de exequiis disponit Rituale Romanum, quam dispositionem omnino servandam esse præcepit etiam Clem. XI. per Edictum suum die 4. Febr. 1705. hac de re editum, ut pag. 317. Bullaria ejusdem Pontificis manifeste appareat.

**CAS. II.** Parochus ruralis quodam die festo, quo tenetur Sacrificium offerre pro populo, celebrat pro defuncto præsente cadavere, cum alias non adsit Sacerdos pro eodem celebratus, antequam sepulturæ tradatur. Q. an bene se gerat.

Respondeo cum distinctione. Si Parochus tamē charitatem exercet celebrando die festo pro defuncto præsente, pro quo alter celebratus non inventur, cum intentione offerendi etiam Sacrificium pro populo altera die intra hebdomadam, bene se gerit; hoc enim modo ex una parte reinerit, quantum potest, quod antiquissimi est instituti, ut scilicet Missa præsentie corpore defuncti pro eo celebretur, antequam sepulturæ tradatur, sicuti sub titulo de exequiis inquit Rituale Romanum; neque ex alia parte populū suū privat eo spirituali auxilio, quod ipsi ex divino præcepto per Sacrificii Oblationem præstare tenetur, ut sess. 23. c. 3. Trident.

num

num docet. Si vero ita celebrat die festo pro defuncto præsente cadavere, ut altero die non sit pro populo celebraturus, maler se gerit; præfert enim consilium præcepto, & justitiae charitatem, quod omnibus ex communis doctrina æquum non esse, compertum est.

CAS. III. Petrus obligavit in testamento hæredem suum ad præbendas quolibet anno alicui pueræ orphanae centum libras, ut possit nubere. Q. an possit talim pecuniam pueræ inutilem Patrem habenti præbere.

Respondeo affirmative. Ratio est, quia licet puer habens Patrem inutilem nequeat toto sermonis rigore orphana appellari, adhuc tamen, cum de habente inutilem Patrem verificetur, quod careat præsidio Patris, illiusque opem desideret, sicuti de vere orphana verificatur, dicendum est, filiam habentem inutilem Patrem legato centum librarum pueræ orphanae nubenti relicto posse guadere. Quemadmodum enim jus dans viduis privilegia eadem mulieribus inutiles viros habentibus concedit, cum parium eadem sit juris dispositio, ut ex cap. inter corporalia 2. de transl. Epis. & ex communi Doctorum mente colligitur. Ita in nostro casu loqui debemus. Hoc tamen facile non admitterem, si filia habens inutilem Patrem cum alia Patre vere carente concurret, nisi illa esset ista pauperior, quo in casu illa adhuc eligi posset. Ita cum Amos. de causis piis L. 4. c. 7. n. 45. & seq. Barb. tr. var. axiom. 174. n. 14. Dian. t. 6. tr. 8. res. 45.

## ANNO MDCCXL. MENSE JANUARII.

CAS. I. Voverat Petrus in sacræ familie honorem tres Julios in elemosynam elargiri, unum viro seni, Mulieri lactanti alteros. Agnoscent autem virum senem, qui uxorem lactantem habebat, eidem viro omnes tres Julios præbuit. Q. an voto à se emissu satisficerit.

Respondeo affirmative. Ratio est, quia nec res, quam vovens vovit, nec voventis finis, ut ad voti complementum requiritur, in casu nostro desideratur. Non primum, nam dare viro seni uxorem lactantem habenti Julios illos, quos Petrus dare voverat mulieri lactanti, perinde se habet, ac Julios eosdem mulieri ipsi præbere, cum datum viro, qui caput est mulieris, ipsi mulieri per se loquendo datum intelligatur. Et præcipue in casu nostro, in quo id, quod per se à voto respicitur, non est directa translationis dominii duorum Juliorum in lactantem mulierem, bene vero ipsius mulieris sublevamen, quod per præstitum capit familiæ subsidium ab ipso Petro obtinetur. Neque deficit secundum, nam finis à Petro vovente intentus, scilicet honor præstandus Divo Josepho in viro sene, & Deiparæ cum Puerto Jesu in lactante muliere ipsius æqualiter, & forte expressus exhibetur, si lactans mulier ipsius vii senis sit uxor, quam si ipsem et viro ex-

tera censeatur, ut per se omnibus compertum est. Ita quoad substantiam cum Bonac. de voto dis. 5. q. 2. punct. 7. §. 3. num. 8. Less. L. cap. 76. dub. 16. n. 150.

CAS. II. Medicus, qui infirmum confessione Sacramentali conscientiam suam expiare nolentem non deseruit, quia graviter ægrotantem, dubitat, an bene se gesserit. Q. dubii solutio.

Respondeo se bene gessisse. Ratio est, quia quamvis Medicus præ oculo habere debeant, quam jumento servando excipiunt, S. Pii Quinti Constitutionem, ipsis interdicentem, ne ultra post tertium diem ægrotum visitent, si ille renuat confiteri; hoc tamen in eo sensu est accipendum, ut Constitutione laudata tamdiu servetur, quamdiu potest una cum charitatis præcepto, & spirituali ipsius infirmi utilitate servari. Servari autem sic nequit in casu infirmi graviter ægrotantis: si enim hic nolens pro nunc confiteri à Medico deseratur, morbo magis in dies probabiliter ingravescente damnationis æternæ periculo exponitur, quod quam maxime charitatis præcepto, & spirituali ipsius infirmi utilitati opponatur, nemo non videret. Ex adverso si Medicus talis infirmi curam non deserat, non modica fulget spes, ut idem infirmus paullatim corpore convalescens & spiritu convalescat; quod enim hodie non obiretur, forte Deo adjuvante, mediisque piorum hominum exhortationibus obtinebitur cras. Bene itaque se gessit Medicus nositer, qui Pontificie Constitutionis mentem, rationemve potius, quam verba respiciens, infirmum suum utpote graviter ægrotantem non deseruit, quamvis conscientiam suam noluerit expiare. Et ita pro dubii solutione tenendum est cum Suan. de pœnit. disp. 35. sect. 3. n. 4. Girib. de juram. c. 3. n. 63. Bon. disp. 4. punct. 16. num. 10.

CAS. III. Pater quamvis dives filio summe peroptanti ad Sacros Ordines promoveri recusat constituere Patrimonium, ad cuius titulum quocumque alio deficiente ordinetur. Q. an graviter peccet.

Respondeo affirmative. Ratio asserti colligitur ex naturali pietatis lege, vñ cuius sicuti tenetur Pater filii, non habentibus unde vivant, alimenta præbere, cum juxta Apost. 2. ad Cor. 12. non debeant filii parentibus thesaurizare, sed parentes filii; ita, nisi aliter Patrem justa causa suadeat, puta, si attenta filii inscitia, vel morum improbitate eum nequaquam idoneum altaris ministrum fore judicaret, tenetur Pater filio peroprandi ad Sacros Ordines promoveri, constituere Patrimonium, ad cuius titulum, quocumque altero deficiente ordinetur, cum Patrimonium ipsum ahmentorum loco succedat; ratio enim naturalis, & pietas sufficienter suadent patrem nequaquam posse absque gravi culpa filios impedire, ne eum statim eligant, ad quem à Deo vocatos esse cognoverint. Quod evidenter ex eo appetit, quia parentes juxta proprii status conditionem ad ea media filiis præstanta tenentur, quibus per studia, aliasve exercitationes, ad sequendam futuro tempore Dei vocationem idonei fiant, ac inveniantur; quod omnino foret inutile, si postea ad eamdem Dei vocationem exequendam possent, nulla etiam concurrente rationabili causa, impediri. Ita cum Reinfest. de præcep. dec. tr. 9. q. 2. n. 19. Rosig. de ord. in communi, q. 3. art. 27. Marchin. de ord. in part. 2. c. 7. n. 4.

MEN.